

nae æquatum sig: 3. vel 9. exactè fuerit, Luna cursu æqualis erit. Hæc materia de constitutio-  
 ne Lunæ in suo Epicyclo, item alia plura, quæ ad motum longitudinis ac latitudinis plane-  
 tarum referuntur, absq; tabulis Astronomicis supputandorum cælestium motuum perple-  
 xa, & difficilia esse videntur. Idcirco singula ea tunc fufius ac clarius explicabimus, cum  
 Deo volente tabulas nostras Astronomicas de supputandis cælestibus moribus, in lucem  
 emittemus, E quibus rationes citra magnum laborem confici poterunt. Sunt enim in adeo  
 breue compendium redactæ, ut nihil absolutius extare arbitremur. Non eodem pacto ex-  
 tractæ sunt, ut aliæ, ex quibus quasi per ambages ad scopum rei transeundum est, sed omnia  
 sic concinne preparata sunt, ut statim vltro se offerant, quæ ad colligendorum verorum mo-  
 tuum noticiam conferant.

Propositum  
 auctoris.

Multa habeo in Mathematicis, partim absoluta, partim inchoata, quæ in lucem dare Reipub:  
 literariæ gratia constitui. Ego enim ab incunte ætate omne studium, & industriam in  
 diuina Mathesi collocaui, in qua singulari quadam animi propensione, ac diuturnis vigilijs,  
 ac sudoribus, diuina ope ingenium meum qualecunq; adiuuante, id assecutus videor, ut  
 Astronomicæ doctrinæ magnam lucem, & vberem commoditatem afferre possim, nouis  
 quibusdam compendijs & rationibus inuentis, quibus paruo labore, magnæq; preciosissimi  
 temporis parsimonia, res hæctenus prolixè, perplexèq; traditæ, itaq; inuolutæ, ut per pauco-  
 rum intelligentiæ paterent, nunc apertissimæ, facilimæq; esse videantur. Neq; verò meis in-  
 uentis, Euclionis instar, priuatim frui, sed omnibus studiosis, candide, fideliterq; meos labo-  
 res impertiri cupio, ut me non mihi vni duntaxat, sed etiam Reipub: literariæ, ac posteritati  
 vixisse, & consultum voluisse appareat. Sed hæc hæctenus: Nunc ad reliqua pergamus.

## DE ASPECTIBVS Planetarum.

### C A P V T XII.

**A** Spectus Planetarum quintuplices sunt: Coniunctio, Oppositus siue diameter, Sextilis  
 siue hexagonus, Quadratus siue tetragonus, & Trinus siue trigonus. Coniunctio dici-  
 tur, cum duo, vel plures planetæ in eodem signo locantur. Oppositus, cum in signis  
 sibi oppositis cõstituuntur. Sextilis est, qui per sextam partem circuli Zodiaci, hoc est grad:  
 60. à loco ipsius planetæ cadit. Quadratus, qui per quartam, hoc est, gradus 90. Trinus, qui  
 per tertiam, hoc est, grad: 120. Ex ijs autem aspectibus tres postremi duplices sunt: reliqui  
 simplices. Nam Sextilis, Quadratus, & Trinus, vtrunq; latus, sinistrum videlicet, ac dex-  
 trum respectu corporis planetæ occupant. Hinc aliqui sinistri, nonnulli verò dextri vocan-  
 tur. Aspectus sextilis, quadratus, & trinus sinister appellatur, qui per suam partem à loco  
 positus planetæ secundum successiõnem, signorum ac graduum distat. Dexter, qui contra  
 seriem signorum & graduum. Sed & hi aspectus aliquando partiliter, aliquando verò  
 platycè accipiuntur. Partiliter quidem, cum duo, vel plures planetæ mutuo se  
 ipsis gradibus contingunt, hoc est, cum inter eos ex iisdem gradibus  
 consociatio per aliquem aspectum fit. Platycè, quando  
 iuxta medietatem Orbium amborum, vel mi-  
 nus, alter ab altero distat. Aspe-  
 ctus enim tantum durant,  
 quantum ipsi  
 orbes.

Figura